

deterri potuisse .Tantum nempe malorum opus erat, quibus ille vires industriamque suam, quod egregie praestitit, comprobaret.

3. Regulae disciplinam restituit. Et restituendae quidem religiosae disciplinae, cui primas, quod debuit curas suas attribuit, rationem hanc esse optimam censuit, si monachos instituti sui obligationes edoctos ab eis ne latum quidem unguem discedere pateretur. Non itaque nuda votorum observatione contentus, reliqua insuper regulae praecepta eisdem assidue inculcavit, habitis eum in finem pro innata sibi dicendi facultate, exhortationibus, et numero frequentibus et zelo admirandis, quumque fraternam praecipue charitatem apud ipsos desiderari animadvertisset, huic restaurandae intentior omnes offendendi vias diligenter praeclusit, si quanto autem industriam suam frustratos in hunc lapidem, comperit offendisse nulla interposita mora discordantium animos ipse arbiter non superior praeconsiliavit. Quo vero monachos suos in vitae religiosae exercitio redderet alacriores, id apprime cavet, ne ipsis ulla conquerendi ansa praerberetur, quocirca eisdem non modo de victu, vestitu caeterisque corporis necessitatibus pro temporum illorum penuria large providit, sed et valetudinem ipsorum paterno sane affectu curavit balnei, phlebotomiae ac medicinae usum concedendo ac animi relaxationes permittendo. Quin ne quid prorsus, quoad hanc partem deesset, hinc quotannis sanitatis examina ab istarum rerum peritis voluit haberi et dein, quae cuique conveniebant, comparari. Haec ut accuratius omnia fierent, diffusis illis, quas praesides congregationis peragere solent, visitationibus plerumque apud nos inanibus ipse pro suo monasterio id muneris in se suscepit, stansque temporibus in suorum internas externasque molestias scrupulose inquisivit, atque eas amputavit. Quo praeclaro utique instituto tantum profecit, quantum postea res ipsa declaravit. Permagni quoque esse momenti ratus, quales post se haberet superiores claustrales, non quosvis ad illud officium privatis indulgens affectibus adhibuit, sed eos tantum, qui caeteros tam morum probitate, quam sapientiae laude anteirent. E sancto Gallo huc secum advexit p. Conradum Holzappel*, decretalium doctorem, qui cum integro fere septennio prioris claustralis provinciam sustinisset, et qua facto, qua doctrina rem hujus monasterii spirituales insigniter promovisset, anno 1660. nephritide** jam dudum vexatus hinc discessit. Huic

* Am Schlusse dieser Biographie ist über Holzappel ein kleiner Extractus beigelegt.

** nephritis scheint hier die Steinkrankheit zu bezeichnen.

jamjam abituro Suffecit de suis* unum p. Josephum Heer, Rorsaco oriundum, his allocutus verbis; „auctoramenti loco habeat s. regulam et statuta, sit discretus, in cultu divino strenuus, sit congregationi sicut pater, sit bonitatis, disciplinae et scientiae sedulus promotor, et quod facit, cum consilio faciat, et post factum non poenitebit.“ Anno 1666. alterum e suorum numero constituit superiorem claustralem verbis non minus efficacibus usus: „in nomine domini, inquiens, priorem nomino et declaro r. p. Placidum**, huic vi s. regulae et ordinatione mea omnes¹ praestabunt et exhibebunt debitam obedientiam et reverentiam tanquam mihi, e contra ille cogitet illud Eccli. 32***: „rectorem te posuerunt, noli extolli, esto in illis, quasi unus ex ipsis, curam illorum habe et sic confide et omni cura tua explicita recumbe“ Instructio tua sit cap. 65. s. regulae et illius explicatio in statutis et plus studeat amari, quam timeri, seniores veneretur, juniores diligat, et sic omnia bene dirigentur.“ In caeteris item officiis conferendis illud assidue attendit, ut nullum eo, nisi serio praemonitum, adhiberet. Parochos praesertim religiosos, animarum curae vacaturos semper zelo animarum aliisque, convenientibus monitis praemunivit². Majorem adhuc curam instituendis junioribus monachis impendit. Hinc primo statim regiminis sui exordio duos fratres clericos, quos jam ordinem professos repererat, ad s. Gallum ablegavit, ut mutuata inde vivendi forma adventuris post haec novitiis monachis praelucerent; neque habuit, quod ipsum instituti sui poeniteret. Unus enim illorum, collecta insigni rerum bonarum messe, e s. Gallo post expletum fere quadriennium regressus domum subinde utilissimam instituendis futuris monachis operam navavit. Quamquam vigilantissimus praesul Franciscus et ipse quodam modo munere isto perfunctus sit, dum non contentus, eidem applicuisse virum idoneum, ipse partium suarum esse duxit, novitios de gravioribus ordinis officiis informare. Maximum his omnibus momentum addidit ipsius vita nulli omnino reprehensioni obnoxia, qua juxta s. regulae praeceptum: „omnia bona et sancta factis amplius, quam verbis semper ostendit.“ Regula cap. 2. Et profecto de ipsius ardentissima in deum pietate, in coelites coelorumque praecipue reginam devotione, in fratres et proximos dilectione, in ordinem ac religionem zelo, in rebus omnibus moderatione plu-

¹ So steht in der Hf.; es fehlt aber nichts. ² Unbeachtlich von erster Hand: praemunire studuit.

* de suis heißt hier, von seinen Landesleuten, den Schweigern.

** Placidus Schmid von Trochtelungen in Hohenzollern.

*** Liber ecclesiastici cap. XXXII. l. 2.